



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt nullus calicem, patenam, vel vestimentum sacerdotale in vadium
tabernario præstare præsumat. ciiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Anastasius episcopus cunctis Germanicis & Burgundiarum regionis episcopis in domino salutem. Exegit dilectio vestra charissimi, ut ex autoritate sedis apostolicæ, vestris deberemus consultis respondere. Et quamvis non prolixè, sed succinctè hoc agere propter quaedam alias occupationes festinare mus: denuo tamen si necesse fuerit ob has vel alias necessitates quasi ad caput mittere charitatiuè non dubitatis: quia vestras preces & nunc & tunc acceptabiles habemus. Significastis enim quosdam sacerdotes in Ecclesia quando Euangelia leguntur sedere, & domini saluatoris verba non stantes sed sedentes audire, & hoc ex maiorum traditione se accepisse narratur. Quod nullatenus deinceps fieri sinatis apostolica autoritate mandamus: sed dum sancta Euangelia in Ecclesia recitantur, sacerdotes & ceteri omnes non sedentes, sed venerabiliter in conspectu Euangelij stantes, dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.

Ut nullus calicem, patenam, vel vestimentum sacerdotale in vadium tabernario præstare præsumat.

Caput CIIII.

Ut nullus presbyter præsumat calicem, vel patenam, vel pallium altaris, vel vestimentum sacerdotale, aut librum ecclesiasticum tabernario, vel negociatori, aut cuilibet laico vel sceminae in vadium dare, nisi iustissima necessitate urgente: quia tanta est sanctitas sacri ministerij, ut salua altioris mysterij intelligentia, etiam per prophetam dominus prohibuerit, ne cum sanctis vestimentis sacerdos procedat ad populum, sed illa intra sancta dimittat, à colloquio diuino rediens. Et cui in tabernas ad bibendum à sacris canonibus ingredi prohibetur, sanctificata sacro ministerio nec ad contingendum immundis: quanto minus in vadium exhibere debet? Sicut Stephanus sanctus papa & martyr sanctum Hylarium in suis decretalibus docuit.

Ut nullus calicem, patenam, aut aliqua vasa sacra ad alios usus facere præsumat. Cap. CV.

Nullus sacerdos seu laicus calicem, aut patenam, aut qualibet vasa sacra & diuino cultui mancipata, ad alios usus suos retorquere præsumat. Nam quicumque de calice sacro aliud bibit præter Christi sanguinem qui in

*Anasta.
1. pape,
epistole
piscopis
Germanie ac
Burgund.
directa.*

*Ex cõcil.
Remensi,
cap. 11.*

*Ex cõcil.
Aurelia
nensi, ca. 9.*